

SENTENCIAS ESCOGIDAS

DE SAN AMBROSIO

Correspondientes al Capítulo II. Artículo IV.

- I. **M**ala non sunt, nisi quæ crimine mente implicant. Cæterum pauperiem, ignobilitatem, ægritudinem, mortem nemo sapiens mala dixerit; quia nec contraria istis, in bonis habentur maximis, quorum alia nobis ex natura, alia ex commoditate accidere videntur. (*Lib. 1. Hexam. c. 8. n. 31.*)
- II. Cum pluvia ante hos dies fore utilis diceretur, ait quidam; ecce neomenia dabit eam. Denique delectatus sum, quod nullus imber effusus est, donec precibus Ecclesiæ datus manifestaret non de initiis lunæ sperandum esse, sed de providentia, & misericordia Creatoris. (*Lib. 4. Hexam. c. 7.*)
- III. Sed etiam tu vir depone tumorem cordis, asperitatem morum, cum tibi sedula uxor occurrit. Non est dominus, sed maritus; non ancillam sortitus est, sed uxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amor gratiam. Vipera venenum suum fundit; tu non potes duritiam mentis deponere? Sed habes naturalem rigorem, debes temperare eum contemplatione conjugii. (*Lib. 5. c. 7. n. 19.*)
- IV. De divina misericordia tunc sperandum amplius, cum præsidia humana defecerint. (*Ibid. c. 17.*)
- V. Pictus es, ò homo, à Domino Deo tuo. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem; non cera expressam, sed gratia. Deles picturam, mulier,

si vultum tuum materiali candore oblinas, si acquisito rubore perfundas. Illa pictura vitii, non decoris est. Illa pictura fraudis, non simplicitatis est; illa pictura fallit, & decipit, ut neque illi placeas, cui placere desideras, qui intelligit, non tuum, sed alienum esse, quod placeas; & tuo displiceas Authori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi, si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris novis operibus obducat, nonne indignatur ille, qui opus suum adulteratum esse cognoverit? Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est: Tollam ergo membra Christi, & faciam membra meretricis? absit. Quod si quis adulterat opus Dei, grave crimen admittit. (*Lib. 6. c. 8. n. 48.*)

VI. Cum fecisset Deus ferarum genera, non requievit: requievit autem postquam hominem ad imaginem suam fecit. In quo requiescat, audi: Super humilem, & quietum, & trementem verba mea. Esto ergo humilis, & quietus, ut in tuo Deus requiescat affectu. (*Ibid.*)

VII. Attende tibi: ne cum auro abundaveris, in multitudine exâles te corde, & obliviscaris Dominum Deum tuum; quid enim habes, ò homo, quod non acceperis? Nonne hæc omnia sicut umbra prætereunt? Nonne tu ipse es cinis? Respice in sepulchra hominum..... discerne inopes, ac potentes; nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla discretio inter cadavera mortuorum, nisi forte quod gravius foetent divitum corpora luxuriæ distenta. Quem audisti pauperem cruditate defunctum? Prodest illi inopia sua; exercet corpus, non opprimit. (*Ibid.*)

VIII. An illos beatos putas, qui abundant pecunia? Quantis abundant vides, quantis egeant non vides. (*Ibid.*)

IX. In anima est Trinitas, qua ad imaginem summæ Trinitatis condita est. Et licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, id est intellectum, voluntatem,

& memoriam. Quod in Evangelio designatur, cum dicitur: Diliges Dominum &c. Idque ex toto intellectu, ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generetur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria. (*Cap. 2. de dignit. cond. human.*)

X. Diffidere est de potentia Dei, æstimare, quod non audiaris, nisi clamaveris. Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament passiones tuæ, clamet sanguis tuus, sicut Sancti Abel. Audit in occultis qui mundat in occultis. (*De Abel, & Cain lib. 1. c. 9.*)

XI. Remittuntur peccata per Dei verbum; remittuntur per officium Sacerdotis, sacrumque ministerium. (*Lib. 2. c. 3.*)

XII. Multi hominibus justi videntur, pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo. Hominibus secundum vitæ speciem, Deo secundum puritatem animi, & virtutis veritatem. (*De Noe, & arc. c. 11.*)

XIII. Rebeca videns Isaac, cui ducebatur uxor, descendit, & caput suum pallio obnubere coepit, docens verecundiam nuptiis præire debere. Inde enim & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia puellæ se obnubarent. Discite ergo Virgines, ne intecto capite prodeatis ante extraneos, & quemadmodum servetis verecundiam; cum Rebeca jam desponsata designatum maritum aperto capite non putaverit videndum. (*De Abrah. lib. 1.*)

XIV. Ego sum alpha, & omega, principum, & finis. Mens igitur nostra cum ipso semper sit... ab ipso incipiamus, & in ipso desinamus... sicut enim à principio vitæ credere, & initiari Deo salus est; ita perseverantia usque in finem necessaria est. (*De Abrah. lib. 2. c. 5.*)

XV. Hoc est vivere in conspectu Dei, digna Dei verbo negotia gerere. Oculi Domini super justos. (*Cap. 11.*)

XVI. Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto quis diutius fuerit, tanto majore oneratur sarcina peccatorum? (*De bono mort. c. 2.*)

XVII. Plerique criminum suorum absolute lætantur. Si emendaturi sunt, recte: si perseveraturi in eis, stulte: quia longe illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. (*Ibid. c. 7.*)

XVIII. Certe iis, quibus est gravis timor mortis, non est grave mori, sed grave es vivere sub metu mortis. Non ergo mors gravis, sed metus mortis: metus autem opinionis est, opinio vero nostræ infirmitatis, contraria veritati. (*Ibid. c. 8.*)

XIX. Concupiscentiam emollire ratio potest, eradicare non potest, quia animus non est suarum passionum dominus, sed repressor. Neque enim fieri potest, ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut indignationem cohibeat; sicut & Propheta nos docet: Irascimini, & nolite peccare. Concessit quod naturæ est, negavit quod culpæ est. (*De Jacob, & vit. beata lib. 1.*)

XX. Non habeo unde gloriari in operibus meis possim, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia justus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Gloriabor non quia vacuus peccatis sum, sed quia mihi remissa sunt peccata. Non gloriabor quia profui, nec quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est, sed quia sanguis Christi pro me effusus est. Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus advenit... fructuosior culpa, quam innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa mea subjectum me reddidit. (*Ibid. c. 6.*)

XXI. Pro nobis omnibus tradidit illum; ut ostenderet, quod ita omnes diligit, ut dilectissimum sibi Filium pro singulis traderet. Pro quibus igitur quod super omnia

est dedit, potest fieri, ut non in illo universa donaverit? Nihil est igitur quod negari posse nobis vereamur; nihil est in quo de munificentia divina diffidere perseverantia debeamus, cujus fuit tam diuturna, & jugis ubertas. (*Ibidem.*)

XXII. Num Deus Pater ipse, qui contulit, potest sua dona rescindere, & quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare? Sed metus est ne Judex severior sit. Considera quem Judicem habeas. Nempe Christo dedit Pater omne judicium. Poterit te ergo ille damnare quem redemit à morte, pro quo se obtulit, cujus vitam suæ mortis mercedem esse cognoscit? Nonne dicet: Quæ utilitas in sanguine meo, si damno quem ipse salvavi? (*Ibid.*)

XXIII. Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem, & stabilitatem . . . hoc firmamentum Christianis mentibus Christianus invexit: Pacem meam do vobis. (*Lib. 2. c. 6.*)

XXIV. Cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum . . . quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur. (*De fug. sæcul. c. 2.*)

XXV. Fugitans est suorum sacri Altaris minister, unde Dominus, quasi Princeps Sacerdotum, formam Levitis dans, dixit: Quæ est mater mea, aut qui fratres mei? (*Ibidem.*)

XXVI. Ne sibi deputarent, virtutique attribuerent suæ, quod divina operatione foret collatum . . . passus est Dominus illis subintrare culpam, ut & ipsi adverterent divinis se auxiliis indigere, ducemque salutis suæ quærendum esse cognoscerent . . . Paulus merito gloriatur in infirmitatibus, sciebat enim virtutis abundantia plurimos etiam sanctos sine remedio corruisse. (*Apologia David c. 2.*)

XXVII. Peccavit David quod solent Reges, sed poenitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges.

Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. (*Ibid. c. 4.*)

XXVIII. Negavit Petrus, & non flevit, quia non respexerat Jesus. Negavit secundo, & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit tertio, respexit Jesus, & statim flevit, & flevit amarissime. (*Ibid. c. 6.*)

XXIX. Unusquisque de alio judicaturus, de se prius judicet: ne minora in alio errata condemnet, cum ipse graviora commiserit. (*Apolog. post. c. 2.*)

XXX. Jejunium refectio animæ, vita Angelorum, culpæ mors, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis. Hoc gradu Elias ascendit, antequam curru. (*De Elia, & jejuniis c. 3.*)

XXXI. Ne dixeris, inquit, redi, cras dabo. Qui non patitur dicere, cras dabo, quomodo dicere, non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum: sed pauciores, qui non utuntur suo, quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideo tibi dicit Scriptura: *Inclina pauperi animam tuam, & redde debitum tuum.* (*De Nab. c. 12.*)

XXXII. Non excusantur, quia nesciunt, cum scire nolunt, quod debuerint cognoscere. (*De interpel. Job. c. 5.*)

XXXIII. Supra te est scire, ò homo, altitudinem sapientiæ, satis est tibi, ut credas. (*Ibid. c. 9.*)

XXXIV. Sapiens quisque intelligit, quod hæc vita homini non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, ut hic laboret, & in posterum requiescat. Hic autem requies nulla est. Tantis enim malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur esse, non poena. Nam

ideo brevem illam Deus fecit, ut molestiæ ejus quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. (*Lib. I. in c. 7. Serm.*)

XXXV. Multamur, ut Deum, quem beneficiis non cognovimus, malis ingruentibus requiramus: & adversis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratias non egimus ad fruendum. (*Ibid.*)

XXXVI. Quis justus propter pecuniam? quis humilis in potestatibus? quis misericors propter nobilitatem? quis castus propter decorem? illecebrosa hæc magis sunt ad peccatum, quam fructuosa ad virtutis profectum. (*In Psalm. 1.*)

XXXVII. Qui diligit, in omni statu suo debet servare diuturnæ caritatis affectum. Pater diligit Filium, diligit etiam cum arguit, cum verberat. . . . Castigat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Et tu cum castigaris, dilige, quia ideo castigaris, ut recipiaris. Nam quid grande est, si tunc diligas Dominum Deum tuum, cum tibi abundant omnia? (*In Psalm. 1.*)

XXXVIII. Qui poenitentiam agit, offerre se debet ad poenam; ut hic puniatur à Domino, non ad supplicia eterna servetur: nec expectare tempus, sed occurrere divinæ indignationi. (*In Psalm. 37.*)

XXXIX. Dominus etsi vult ignoscere, vult rogari. (*Ibid. n. 15.*)

XL. Cum irascitur in reum, differt: cum miseretur, properat ut absolvat terret, ut corrigat, prævenit ut ignoscat. (*Ibid.*)

XLI. Etsi irascitur Deus, ignoscit; etsi percutit, sanat: etsi tradit in interitum carnem, spiritum salvat. (*Ibid.*)

XLII. Gravior adversarius nobis culpa est nostra, quæ sollicitat otiosos, affligit sanos, contristat lætos, inquietat placidos, exagitat mites, excitat dormientes. Rei sumus sine

accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis adstringimur, sine venditore vendimur. (*Ibid.*)

XLIII. Gaudeamus in passionibus nostris, sicut & Christus gaudebat in suis. Quas ille suscipiebat pro servulis, nos subeamus pro Domino. (*Ibid.*)

XLIV. Consolatio mitis esse debet, non aspera: quæ magis dolorem leniat, quam commotionem excitet. (*Ibid.*)

XLV. Regibus non temere vel à Prophetis Dei, vel à Sacerdotibus facienda injuria est, si nulla sint graviora peccata, in quibus debeant argui. Ubi autem peccata sunt graviora; ibi non videtur à Sacerdote parcendum, ut justis increpationibus corrigantur. (*Ibid.*)

XLVI. Plus acquisivimus, qui plus peccavimus, quia beatiore facit tua gratia, quam nostra innocentia. (*Ibid.*)

XLVII. Ad omnia utile silentium. Si peccatum agnoscis, tace; ne negando exaggeres. Si non agnoscis, tace, securus de innocentia. Non possunt aliena verba crimen affigere, quod propria non recepit conscientia. (*In Psalm. 38.*)

XLVIII. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Hic enim sunt laquei, quibus & si non implicatur justus, tamen impeditur. (*De interpel. David lib. 2. c. 2.*)

XLIX. David pro uno peccato miserationum multitudinem deprecatur, nos pro pluribus peccatis, vix semel ejus misericordiam credimus obsecrandam. (*Apolog. David c. 8.*)

L. Pentecostes diem non minore lætitia celebramus, quam sanctum Pascha curavimus. . . . tunc enim sicut modo jejunavimus sabbato, vigiliis celebravimus. Est lætitia plane similis. Tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus Salvatorem, modo autem Spiritum Sanctum expectamus è Cælis. (*In Psalm. 109.*)

LI. Bonus Deus non repellit sequentem, nisi ipse mereatur repelli. (*In Psalm. 118.*)

LII. "In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi". Periculum est itaque non solum falsa dicere, sed etiam vera, si quis ea insinuet, quibus non oportet. (*Ibidem.*)

LIII. Vivam, vivam ait, quasi nondum vivens. Hic enim umbra vivimus. Ergo vita ista in corpore; umbra est vitæ, atque imago, non veritas. (*Ibid.*)

LIV. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, &c. Qui in via est Dei, vanitates non aspicit. Via perfecta Christus est. Qui igitur in Christo est, quomodo potest vanitates aspiceret, cum Christus in carne sua, omnes Mundi hujus crucifixerit vanitates? Avertamus igitur oculos nostros à vanitatibus, ne quod oculus viderit, animus concupiscat. (*Ibid.*)

LV. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quisquis enim meliora sperat, numquam levioribus frangitur. (*Ibid.*)

LVI. Multi tentari solent prosperis superborum processibus; videntes... justos plerumque... non tenentes caput veritatis, quo evidentissime comprehenditur, non in hoc sæculo, sed in futuro repositam nostrorum remunerationem meritorum. (*Ibid.*)

LVII. Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodivi legem tuam. Hoc nomen invocetur diebus, ac noctibus... Si studentes doctrinis sæcularibus perparum somno indulgent; quanto magis qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantum naturæ satis est? David per singulas noctes lacrymis stratum sunt rigabat, surgebat etiam noctis medio, ut Domino confiteretur; & tu totam noctem existimas sopori esse deputandam? Tunc magis tibi orandus est Dominus, tunc præsidia præstolanda, tunc

culpa cavenda, quando videtur habere secretum, tum maxime quando tenebræ in circuitu meo, considerandum, quia Dominus omnia intuetur abscondita. (*Ibid.*)

LVIII. Quam rarus in terris, qui potest dicere: Portio mea Dominus! quam alienus à vitiis, qui nihil habeat commune cum sæculo, nihil mundi hujus vindicet sibi, cui non sit corporalium possessio cupiditatum, quem non inflammet libido, non stimulet avaritia, non lascivia effoeminet, non sternat ambitio, non maceret invidia, non aliqua negotiorum sæcularium cura sollicitet; Deo, non sibi natus! (*Ibidem.*)

LIX. Verus minister Altaris, Deo, non sibi natus: Levi enim significat, *ipse mihi assumptus*: significat, & ipse meus, & tantum assumptus, & assumptus mihi. (*Ibid.*)

LX. Secundum misericordiam tuam vivifica me. Opus est ergo misericordia Dei, ut continua sit in hoc corpore vivificatio, quo quotidie justus Deo vivat, peccatoque moriatur. (*Ibid.*)

LXI. Tuus sum ego. Facilis vox, & communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim qui potest dicere Deo tuus sum. Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non novit. (*Ibid.*)

LXII. Venias ad cibum corporis Dominici, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus; ut lætitiâ induas de remissione peccati, curas sæculi hujus, metum mortis, solitudinesque deponas. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit; animus non confunditur, sed consecratur. (*Ibid.*)

LXIII. Justus Dominus in periculis, justus in damnis, justus in ultionibus est; non solum quia unusquisque justæ culpæ suæ poenas luit, verum etiam, quia dum unus puniatur, plurimi corriguntur. (*Ibid.*)

LXIV. Melius es, ut unius, aut duorum damnatione

plurimi liberentur, quam duorum absolute plures periclitentur (*Ibid.*)

LXV. Tripliciter ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. (*Ibidem.*)

LXVI. Christus cibus mihi, Christus mihi potus... caro Dei cibus mihi, sanguis Dei cibus mihi. Fuerat ante mirandus panis de Cælo, sed non erat verus ille panis, sed futuri umbra. Panem de Cælo illum verum servavit mihi Pater... Hic est panis vitæ; qui ergo vitam manducat, mori non potest. Quomodo enim morietur, cui vita cibus est? (*Ibidem.*)

LXVII. Prævenerunt oculi mei mane meditari verba tua. Grave est enim, si te otiosum in stratis radius solis orientis inverecundo pudore conveniat... argui nos tanti temporis spatium, sine ullius devotionis munere, ac sacrificii spiritualis oblatione feriata nocte transmissum. An nescis o homo, quod primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. (*Ibid.*)

LXVIII. Quamdiu te somnus, quamdiu te sæcularia tenent? Divide saltem Deo, & sæculo tempora tua; vel quando non potes agere in publico quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vacato, indulge orationibus; & ne obdormiscas psallito: somnum tuum bona fraude fraudato: mane festina ad Ecclesiam; defer primitias tui voti: & postea si vocat sæcularis necessitas, non excluderis dicere: Prævenerunt oculi mei, mane meditari legem tuam; & sic securus procedis ad actus tuos. Quam jucundum inchoare ab hymnis, & canticis! quam prosperum, ut te Christi sermo benedicat! & dum recantas Domini benedictiones, studium alicujus virtutis assumes, ut etiam in te benedictionis divinæ meritum recognoscas! (*Ibid.*)

LXIX. Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu,

persecutionem patientur. Omnes, dixit, nullum exceptit. Persequitur avaritia, persecuitur ambitio, persecuitur superbia, persecuitur luxuria, &c. Isti sunt persecutores graves, qui sine gladii terrore, mentem hominis frequenter elidunt, qui illecebris magis quam terroribus animos expugnant fidelium... multi in persecutione publica coronati, occulta hac persecutione ceciderunt. Foris pugnae, intus timores. Quam grave certamen quod est intra hominem, ut secum ipse confligat, cum suis cupiditatibus prælietur! (*Ibid.*)

LXX. Ut multæ persecutiones, ita multa martyria. Quotidie testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum judicium, temerandam mentis, & corporis castimoniam non putasti, martyr es Christi. (*Ibidem.*)

LXXI. Civitati non nisi propter civium peccata inferatur excidium. Desine ergo peccare, & civitas non peribit. Quid fugis patriam? Si vis salvus esse, tua potius peccata subterfuge. (*In Jonam.*)

LXXII. Utinam nobis adolentibus Altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, imo præbeat se videndum. Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur. (*In Luc. c. 1.*)

LXXIII. Maria bene sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratiæ repletur Authore. (*Lib. 2. in c. 1. Luc.*)

LXXIV. Nemo diffidat, nemo veterum conscius dilectorum, præmia divina desperet. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum. (*Ibid.*)

LXXV. S. David... ostendit nobis neminem virtuti propriæ debere confidere. Habemus enim adversarium magnum, qui vinci à nobis sine Dei favore non possit. (*Lib. 3. in c. 5.*)

LXXVI. Non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in

Sacramentis lucrum quæritur, sed obsequium Sacerdotis. Non tamen satis est, si lucrum ipse non quæras, familiæ quoque tuæ cohibendæ sunt manus.... quæritur non solum tua ab hujusmodi nundinis, sed etiam domus tuæ castitas. (*Lib. 4. in cap. 4.*)

LXXVII. Nemo tibi Christum potest auferre, nisi ipse te auferas illi. (*Lib. 5. in c. 5.*)

LXXVIII. Displicet ei, qui vestem non habuerit nuptialem. Sponso autem quid potest placere, nisi pax animi, puritas cordis, charitas mentis? (*Ibidem.*)

LXXIX. Aufer, Domine Jesu, potenti machæra tua meorum putredines peccatorum. Dum me habes ligatum charitatis vinculis, seca quodcumque vitiosum est. Veni cito incidens occultas, variasque passiones; aperito vulnus ne noxius serpat humor. (*Ibid.*)

LXXX. Licet sæcularia opera conquiescant, non otiosus tamen boni operis actus est in Dei laude requiescere. (*In cap. 6.*)

LXXXI. Adverte cæleste consilium; non sapientes aliquot, non divites, non nobiles, sed piscatores aliquot, & publicanos elegit, ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentia, nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur: ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret. (*Ibidem.*)

LXXXII. Quis est populus, qui amplius debet, nisi nos quibus amplius creditum est? Illis credita sunt eloquia Dei, nobis creditur partus Virginis... creditus est Emmanuel nobiscum Deus, credita Domini crux, mors, resurrectio. Et si Christus pro omnibus mortuus est, pro nobis tamen specialiter passus est, quia pro Ecclesia passus est. (*Ibidem.*)

LXXXIII. Propter hoc, inquit Paulus, ter Dominum rogavi, & ostendit, quod frequenter Deus ideo non concedat oratus, quod inutilia judicet, quæ nos profutura creda-

mus. (*Lib. 7. in c. 11.*)

LXXXIV. Neque difficilis venia, nec remissa sit indulgentia; ne quem vel austera percellat invectio, vel conniventia invitet ad culpam. (*Lib. 8. in cap. 17.*)

LXXXV. Plus proficit amica correctio, quam accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem movet.... servetur potius, quod prodi metuat qui monetur. Bonum quippe est, ut amicum magis te, qui corripitur, credat, quam inimicum. (*Ibidem.*)

LXXXVI. Si non donasse extraneis grave est; quanto gravius excludere parentes? Sed dicis, quod eras parentibus collaturus, Ecclesiæ malle conferre. Non quærit donum Deus de fame parentum. (*Ibidem.*)

LXXXVII. Dei traditio est, ut prius pascas parentes. Nam si juxta divinum oraculum contumelia parentis morteluitur, quanto magis fames, quæ morte gravior est? Quo loco insolentem Dominus infranat jactantiam. (*Ibidem.*)

LXXXVIII. Ego non solum tristitiæ affectum, non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem ejus, majestatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret: & sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiã largiretur: & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. (*Lib. 10. in c. 22.*)

LXXXIX. Etiam lapsus Sanctorum utilis. Nihil mihi nocuit, quod negavit Petrus, profuit, quod emendavit. Didici cavere alloquia perfidorum... & si Petrus lapsus est.. quis alius jure de se præsumat? (*Ibidem.*)

XC. Accusatur Dominus, & tacet. Bene tacet, qui defensione non indiget. Ambient defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat: sed despicit non refel-

lendo. (*In cap. 23.*)

XCI. Hodie mecum eris in Paradiso. Ubi Christus, ibi vita, ibi regnum. (*Ibidem.*)

XCII. Non sunt completa peccata Amorrhæorum. Ostendit mensuram quandam esse delictorum, quam cum impleverint peccatores, vita digni minime judicentur. (*In epist. ad Rom. cap. 7.*)

XCIII. Illud fieri debet, quod & Deo non displiceat, & fratri scandalum non sit. Etsi liceat enim, & fratrem scandalicet, Deo non placet, quia Deus saluti studendum monet. Sic ergo providentur bona coram Deo, & hominibus, si ea quæ licent sic agantur, ne scandalum faciant. (*In cap. 12.*)

XCIV. Hæc magis ad laudem Dei proficiunt, ut credatur fecisse, cujus operis ratio investigari non possit. Deus est enim qui fecit. Imbecillitas enim humana stultum putat quod scientia sua non concludit, cum hoc magis stultum deberet habere, & illud prudens: quod quia Dei factum dicitur, non potest comprehendi. (*In epist. ad Corinth. cap. 2.*)

XCV. Castigo corpus meum, & servituti subijcio: castigare corpus est, illud jejuniis angere, & illa ei dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum. Servituti vero subijcitur, dum non suam perficit, sed spiritus voluntatem. (*Cap. 7.*)

XCVI. Non solum quæritur, quantum, sed & de quanto, & quo animo detur. (*In epist. 2. ad Corinth. cap. 29.*)

XCVII. Fugiendum in persecutione... neque enim debet aliquis expectare, ut in semetipsum peccetur. (*Cap. 12.*)

XCVIII. Septem Diaconos esse oportet, & aliquantos Presbyteros, & unus in civitate sit Episcopus: ac per hoc omnes à conventu foeminæ abstinere debent; quia necesse est, eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, ut post conventum legitime purificentur sicut veteres. (*In epist. ad Timoth. cap. 3.*)

XCIX. Peccat Episcopus, si non probat, & sic ordinat. Melior enim cæteris debet probari, qui ordinandus est. Non enim sufficit, si sine crimine sit, quia merita ejus debent esse bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem. (*In cap. 5.*)

C. Prudenter Deus serviri sibi vult, non ut nimietate sua debiles fiant, & postea medicorum suffragia requirant. Temperandum enim est, ut si fieri potest, coeptum obsequium gradatim provehatur, quam per inconsiderantiam minuatur. Intemperantia enim ipsam animam inquietam facit, ut cum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit divinis servitiis. (*Ibidem.*)

CI. Quale est medicamentum poenitentiae, aut qualiter conficitur? Primum confitendo, & condemnando proprium peccatum... secundo multa humilitate plangere peccata sua, fructusque dignos exinde facere poenitentiae; quatenus nullatenus in eadem iterum corruat peccata. Deinde multis eleemosynis redimere se incipiat qui sæculi habet potestatem: sicut enim scriptum est; divitiæ viri, redemptio animæ illius. Postremo opus est nulli irasci, neque malum pro malo reddere; omnibus dimittere peccantibus in se, dicente ipsa veritate; dimitte, & dimittetur vobis. (*In epist. ad Hebr. cap. 6.*)

CII. Videamus, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione suscepit: itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt, neque enim divisus est Christus, sed unus. (*De Spir. Sanct. lib. 3. c. 12.*)

CIII. Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cælo ista Sacramenta venerunt. (*Lib. 4. de Sacram. c. 4.*)

CIV. Tu forte dicis, meus panis est usitatus. Sed pa-